

LIVONIAE

PROVINCIAE QVON-
DAM CLARÆ ET SPLEN-

dida Ruina, & mutationis certa Rati-
ones & Causa, carmine Elegiaco
breviter declarata, per Georgi-
um Tisenhusium à Sauf-
sen Livonum.



RIGÆ.

Excudebat Nicolaus Mollinus.

Anno 1594.



ILLVSTRISSIMAE AC EMI-
NENTISSIMA STIRPE MEGAPO-

lensi nata Principissa & Domina, Domina Anna,
Dei gratia, Curlandia Semigalliaq; in Livonia
Ducissa Vidua, Domina sua perpetua fide
colenda, Georgius Tisenhusius a Sau-
ssen Livonus.

S D.



Uma parens patria Regali stemmate nata
Non opis est nostra, nec Carmina nostra tuorum
Nomina clara valent, Laudesq; extollere avorum.
Acta satis celebrant illorum splendida famam.
Multa meae testor subit admiratio menti,
Et mea sic stupefacta quidem vox faucibus haeret.
Gloria nam tua tanta viget virtutis amorq;
Audeat ista videns ut veris dicere verbis.
Primus honos nostra debetur jure Ducisse
O Decus, o nostra patriae nitidissima stella
Lux o justitiae qua te tam laeta tulerunt
Et qua te nostrum genuerunt secula asylum
Numina te portum & robur statuere piorum
Sis itidem ut miseris quos impia turba malorum
Injuste rodit, vindex & mater egenis,
Sacri neve minus verbi fidissima nutritrix.
Nestoris ut vivas patriae o lux opto per annos

*A*spiciasq; tua sobolis, sobolem incluta mater.
*T*ollantur subito tibi qui insidiantur iniqui
*A*rma Dei fortis confringat Dextra malorum,
*C*ura tui absentis gnati intoleranda Guilhelmi
*V*t gravis ac ingens moles tua pectora torfit.
*R*ebus at afflictis te non succumbere passa est
*L*ceta fides, maesta praebens solatia menti
*A*nnuit, ac votis sibi qui fidentibus astat
*N*ec finit esse preces vanas Deus ecce piorum.
*D*uxit enim Deus ex patria, saluumq; reduxit
*I*nsigni pietate Ducem ingenioq; nitentem.
*A*equiparanda ejus non est virtutibus aetas,
*S*uppeditat teneris annis Sapientia vires.
*E*cce redit sospes referens solatia matri,
*M*ulta expertus adest, multum experientia prodest,
*I*mmensa bonitate Dei servatus ubiq;
*G*randia post Lachrimas reddit Dux gaudia matri,
*A*siduo nostra Domine quia munera laudis
*L*ingua, Dei ardentem sacras profudit ad aras:
*I*am salvo gnati reditu Deus ista rependit.
*A*ris Tbesauriq; Deo non hostia grata est;
*Q*ua fert thura Deo contrita mente placebit.
*D*um tua de gnato cura pia pectora versant,
*V*era tibi veniunt Enuncia leta Ducissa.
*C*onnubio ecce Ducis praeclari filia juncta est
*I*nvidus haec cernens doleat, rumpatur Eadem;

*S*ed bonitate Dei tuus o veneranda Ducissa,
*S*emper honos vigeat, maneat laudesq; tuorum
*A*tribuaturq; tua. Deus omnia lata senecta.

ILLVSTRISSIMO, AC STIR-
PIS VIRTVTISq; INTEGRITATE

eminentissimo Principi ac Domino, D. Guilhelmo,

Dei Gratia, Curlandia Semigalliaq; in Livonia

Duci, Domino suo perpetua fide colen-

do, G: Tisenbusius Livonus

S. D.



*R*aminibus consperge vias & floribus orna

*V*ndiq;: leta tua sis patria luce reducta.

*I*mpatiente abitu Ducis omnes mente tulerunt,

*L*uctibus & lacrimis loca cuncta repleta fuere.

*H*aud princeps prudens, multis sua cepta volebat

*E*sse palam, patriis sed clam discedere Terris

*L*iberius sic atq; ut tutius ire liceret.

*M*ultos in patria pavidos maestosq; relinquens.

*V*tq; externorum Regumq; Ducumq; piorum

*S*edululo cognoscat moresq; modumq; regendi;

*C*arpsit iter longum bene quod successit eunti.

*V*lla nec hinc reduci nocuit fortuna sinistra

*R*edde Deo meritas grates. o subdita turba.

*L*eta tuum Regem patrem patriaq; saluta

*A*cer enim defensor erit portusq; piorum.
*N*am studiis, teneris ardentem inhaesit ab annis.
*D*espicit ille viros quos conspicit esse superbos
*I*nsigni virtute & simplicitate vigentes
A quo animo tolerare viros & amare laborat,
*S*acra iustitiae colit & pietatis amantes
*E*stq; viri infidi & fallacis pectoris hostis.
*M*ille modis apicem virtutis tangere tentat
*I*mpia suadentes non dignos ducit honore.
*G*entis honos patriae est, hunc & Germania laudat
*A*dde quod & totum fere Dux pius ille per orbem
*L*audibus & vehitur: quia cuilibet esse benignus
*I*ngenioq; studet, virtuteq; vincere cunctos
*A*stimat atq; nihil famae superare nitorem
*Q*uid restat? nisi ut optemus tibi magne Guilhelme
*D*um patriae regnare paras jam laude Ducatum
*V*t tibi connubio jungatur casta Ducissa
*X*antippi haud similis, sed cui Lucretia cedat.
*E*n ego Marte meo recitata vi carmine causas
*T*ot miserae patriae (quam vis vili arte) laborum
*H*occe tuum faustum reditum Dux gratulor alme.
*E*t si quos cecinit versus mea Tibia agrestis
*R*e vera Duce ego tanto vix aestimo dignos:
*E*ximia tamen o Dux mansuetudine pollens
*S*uscipe quae offerimus tibi carmina mente benigna

LIVONIAE PROVINCIAE

QUONDAM CLARÆ ET SPLEN-

dida Ruina, & mutationis certæ rationes & causæ,
carmine Elegiaco breviter declarata per Georgium
Tisenhusium à Saussen Livonum.



Non mea vulgaris meditatio pectora versat
Urget & haud calamū sumere causa levis
Res gravis est, dulces Musæ precor addite vires
Ardua ne impediatur scribere cæpta timor:
Cur quæ lata fuit quondam, nunc patria luget
Præcipuas causas carmina nostra dabunt.
Sed mihi ne taceam suadet quoque, fida Thalia
Splendida præscorum & fortia facta patrum.
Consilio est inventa Dei Livonia Tellus
Milite Germano Gensque domata rudis,
Et postquam statuente Deo Gens ista coacta est
Germanis ducibus subdere colla piis:
Est data defessis patribus pax tempore parvo
Terra & de victa fertilitate fruit
Ausu tamen quamvis est exercere tumultus
Plebs contra Dominos Barbara sæpe suos:
Perfidia illorum tamen haud permansit inulta
Namque graves pœnas arte dedere ducum
Factaque sic servis Dominorum est cognita virtus
Nec posthac ausi sunt violare fidem.

Denique

Deniq; Germani secura pace fruuntur
Et vario pacto quarit avarus opes,
Condere principibus cura est pulchra oppida & arces
Cingere quas densis mœnibus arte student.
Illorum quoniam fines gens undiq; cinxit
Barbara, qua visa est quod fera bella struat
Invictos patres horum violentia nunquam
Terruit, hos belli gloria ad astra tulit.
Finitime Gentes illis virtute minores
Bella movendi animos abstinere feros.
Has Deus omnipotens Terras ornavit amœnis
Fluminibus, nec non utilitate maris.
Hac Regio & portus & littora navibus apta
Cum mercatorum commoditate tenet.
Talis fama volans mercatorum attigit aures;
Et varias merces terra quod ista ferat:
Divitiarum & nummorum contactus amore
Per mare mercator, querere tentat opes.
Deniq; conspiciunt multis succedere cœpta,
Audaceq; opibus divitiisq; frui:
Contrahit idcirco magnam Livonia turbam
Mox mercatorum qui loca tuta petunt.
Circumspectantes habitacula commoda querunt
Urbis ubi & sedem mœniarq; apta struant.
Inveniuntq; locum situs est qui ad littora Duna
Aptum quem valde puppibus esse vident

Nec

Nec mora collatis nummis & viribus aequae
 Claram urbem statuunt auxiliante Deo
 Nomen & istius toto celebratur in orbe
 Et tua perpetuo Gloria Riga viget
 Undique concurrunt cives, urbs ista repleta
 Factaque Divitiis viribus estque potens.
 Hac cum principibus Livonis foedera firma
 Contraxit veram praestitit atque fidem
 Sed quamvis odia inter eos exorta videntur
 Et belli causas invida turba dedit
 Assentatores nempe & plebs dedita ventri
 Qui aulis in Regum saepe vigentque Ducum
 Attoniti tamen illorum lites sapientes
 Tollunt prudenti consilioque gravi
 Finitimae insidias Gentis Technasque docentes
 Quae patriae exitum & sedulo damna parant
 Unanimes igitur sint suadent ne ferus hostis
 Irruat, incautos opprimat atque Duces
 Nam serua rabies Gentis vi tentat ut omnes
 Cogat Germanos subdere colla sibi
 Sed postquam unanimes facti civesque Ducesque
 Haud horum vires sustinuerunt Getae
 Cedere nec tantum patriae sunt finibus acta
 Sed proprios etiam deserere locos
 Quanta molis erat patrias extendere fines
 Acta probanda patrum scriptaque prisca docent

Heroes habuit claros Livonia quondam
Hostibus illorum dextera nota fuit
Ordine vel numero quorum pia facta referre
Nominaq; ipsorum non opus esse puto
Siquis quam fuerit cupiat qui talia scire
Hunc moneo ut patrum scripta vetusta legat
Quam fuerint fortes, quam sollicitiq; videbunt
Dedecore illorum ne violetur honos
Libertatis amor nitida fama; cupido
Instigavit eos Dura & acerba pati
Famam & ut extendant factis nec tela nec ignes
Arma; non hostis sanguinolenta timent
Annuit hijsce Deo fortuna secunda favente
Hostibus est tandem languida facta manus
Sapeq; devicti & dare terga rubore coacti
Contenti statuant finibus esse suis.
Ante alias urbes patrie clarissima Riga est
Post hanc sunt binae quae reliquas superant
Prima est nomen habens Revalia, nota per orbem
Additur huic similis Terpeta pulchra comes.
Floruit in patria multos urbs Riga per annos
Tutaq; sub dextera sit preeor illa Dei
Nutanti patrie (liceat modo vera fateri)
Rebus in adversis portus & aura fuit
Barbara Germanis quae gens est invida semper
Haud patrie potuit commoda ferre Diu

Tentans si qua viam dederit fortuna furores
Contra Germanos exatiare suos
Præcipuè Moschi crudeles atq; dolosi
Livonos vellent interrissa Duces
Regem habuere illi tumidum sævumq; Tyrannum
Qui statuit regno subdere plura suo
Vidit ut impatiens urbes arcesq; venustas
Germani populi, nec sine honore Duces
Mox illi dira ambitio gravis iraq; suadet
Cum patria invictis bella movere viris
Sed quia laus horum virtutis nota Tyranno
Ante fuit, dura militiæq; vigor
Victor ut esse queat meriturus laude Triumphum
Moschorum ingentem colligit ille gregem
Livonistandem indicit Lachrimabile bellum
Absq; mora ad fines carpere tentat iter
Rebus in afflictis populus Germanus habebat
Præstantem ante alios eximiumq; Ducem
Imperio cujus se subdunt, nec minus ipsi
Iurant obsequium perpetuamq; fidem
Plettenbergus erat cui nomen stemmate claro
Ortus, præcipuè dignus honore fuit
Consulit hic patria Germanorumq; cohortes
Colligit, intrepida menteq; bella parat
Nec mora forti animo Dux castra aciemq; movebat
Prælia inire cupit Marte favente fera

Hostes conspiciat quamvis Germana Juventus
Inflatos nimium viribus esse suis:
Auscultant tamen intenti quæ jussa daturus
Ipse pater patriæ est Dux simul atq; Ducum.
Dictis ille viros animis audacibus implet,
Et monet haud renuant ut grave Martis opus.
Nam quamvis hostes magno numero esse timendos
Iure putent sevis terribilesq; minis
Militia tamen esse laborum prorsus inertes
Credere persuadet consilioq; rudi
Barbaricos docet invadant modo fortiter hostes
Namq; neci facile corpora nuda dabunt.
His Germana cohors dictis ad prælia mota est
Obsequiturq; suo laudis amore Duci,
Armorumq; juvat strepitus clangorq; tubarum
Agmina Moschorum fundere densa placet.
Risu cingit eos Moschorum immensa Cæterva
Hostium & ante oculos cernitur umbra levis
Sed medios inter Moschos Germana Juventus
Sanguinea tentat sternere cede Getas
Sint quamvis pauci, tamen instant Marte secundo
Virtutis laudem querere more patrum
Fortiter invadunt oriturq; miserrima cades
Corpora Moschorum millia multa cadunt
Nec mora nec requies, tellus madefacta cruore est
Peneq; deleta est barbara tota cohors.

Moscho-

Moschorum Regi conspecta cadē suorum
Vincitur ira metu spesq; pudore cadit
Et tumidus tandem Rex est dare terga coactus
Cui Germana acies ridiculosa fuit.
Nam Deus armipotens contundit corda superba
Dejectos contra respicit atq; fovet
Huic placuit tumidi regis dispergere vires
Ut se mortalem discat & esse finium.
Germani proceres rebus feliciter actis
Lati persolunt debita vota Deo.
Duxq; ducum procerum Germanorumq; virorum
Virtutem eximiam comprobat atq; fidem
Precipit & sessis ut equos & corpora curent
Sedulo & explorent quid ferus hostis agat
Nam quamvis atrox victus sit, pulsus & hostis
Attamen ut caveant ne nova bella struat
Insidias paret quoniam versutia Moschi
Cognita Germanis, ambitioq; fuit
Cedere nec statuunt è finibus hostis acerbi
Sed quacung; queunt arte nocere nocent
Donec contendant vires animumq; ferocem
Moschorum, & technas insidiasq; Ducis.
Hos ita magnanimos cognovit ut esse Tyrannus
Ipsius subitus concutit ossa tremor.
Nec mora concludit securam querere pacem
Quam precibus blandis impetrat ille suis

*Pax ita conficitur statuuntur fœdera certa
Quæ rata sint lustris nec violanda decem
Sic Livonorum tantarum Gloria rerum
Vndiq; in orbe quidem nomen ad astra tulit
Gentibus & reliquis res attulit ista pavorem
Quas etiam placidas esse timore facit.
Hactenus explicui patrum celeberrima facta
Promere qua potuit nostra Thalia lyra.
Melpomene causas memora cur patria dulcis
Nunc vili specie debilitata jacet
Patria jam multis Livonia floruit annis
Fit dives requie & fertilitate soli
Quisquis & intentus sua commoda sedulo querit
Latitæ quas dant aurea secla iurant
Temporibus latis utinam plebs grata fuisset
Commoda qui dederat largiter ista, Deo
Nec non corde pio Domini qui cuncta creavit
Sedulo tentasset iussa verenda sequi
Hostibus à cunctis ò patria tuta fuisses
Omnes finitima te tremereatq; Getæ
Sed plerumq; hominum sic gaudia pectora perdunt
Hæmo ut pisciculus fallitur atq; perit
Aspera aceta hominis sunt sæpe salubria membro
Commoda fors itidem sæpe sinistra tulit.
Nam vitiosa caro rebus plerumq; secundis
Mortales tumidos efficit atq; feros*

Parta putans nostris hac omnia viribus esse
Dextera clementis qua dedit alma Dei
Nec meminit Domini sint hac quod verba tonantis
Per sancti vatis qua dedit ora sui
Quis similis Domino est cælum terramq; regenti
Clementer qui humiles respicit atq; pios
Sed tumidos omnes iratus conterit idem
Sint licet illi homines angelicusve chorus
Edocet & Paulus nos primus discipulorum
Latificant cujus dogmata sancta pios
Nempe Deo quod sit gratum elegitq; benigne
Vile quod in mundo & conspicit esse nihil
Corde suum puro qui sedulo nomen adorat
Quiq; Deum vera simplicitate colit;
At qui se jactat ficta & pietate superbit
Qui nimio fastu turgida corda gerit
Qui sibi divitias & regna potentia quarit
Divitias summum qui putat esse bonum
Talis homo Domini cito confundetur in ira
Illius interiet nominis omnis honos
Filius ipse Dei patrem compellat adorans
Cuiq; pio grates pectore letus agit
Elatis minime sua quod misteria pandat
Pectora nes quorum calliditate tument
Simplicibus contra quos conspicit esse fideles
Atq; rudi populo talia scire dedit

Percipitur facile qua sit sententia Christi
Ipsius & verè quid pia dicta velint
Scilicet hortatur memores nos esse malorum
In qua homines satanas precipitavit atrox
Ardua quam fuerint quamq; horrida crimina nostra
Demonstrat gnati passio acerba Dei
Omnes ergo jubet cuiusvis conditionis
Infima siue illi aut tecta superba colant
Succumbant pariter dextra ut patris omnipotentis
A quo per Christum commoda summa ferunt
Suppliciterq; canant: tibi laus sit maxime rerum
Nominis & vigeat gloria sola tui
Nobis nulla quidem laus, sed confusio detur
Nostraq; diffamis contegat ora pudor
Dilecti ista Dei documenta fidelia gnati
Simpliciter nobis qua facienda canunt.
His si auscultassent Liوني sedulo iussis
Qua dedit ore pio filius ipse Dei
Patria non valis sine honoreq; spreta jaceret
Sed bona servasset qua tenere patres
Quis fuerit luctus vel quanta superbia plebis
Temporibus latis, quis recitare potest
Mens erat ach populi lasciva libidine turpi
Sacri conjugii non erat aquns honos
Sape coacta pia est meretrici cedere conjux
Præcipuos Dominos quas tenuisse liquet

Maxima pars plebis tendebat retia nummis
Publica res paucis cura suprema fuit
Quisq; suo arbitrio vixit sine lege fideq;
Arbiter & Legis non nisi diues erat
Nullus erat populi miseri respectus, iniquo
Turba profana quidem iudice tuta fuit
Quid queror? heu verbi divini gloria rara
Indiq; rarus erat Religionis amor
Templaq; qua à proavis pulchre constructa fuerunt
Heu neglecta jacent, turpiter atq; ruunt
Haud iusto verbi venerantur honore magistri
Vilis amictus eis, vilis & esca fuit
Tanta Deus justus perversa crimina plebis
Haud placido potuit pectore ferre Div.
Sed cum sit Dominus clemens & lentus ad iram
Neo peccatoris gaudeat interitu
Ergo prius tentat si quis cœlestibus, illos
Ad pietatis iter num revocare queat
Inter enim cœli stellas conspecta cometa est
Irati signum quod solet esse Dei
Hanc Docti videre viri qui pectore mœsto
Percipiunt hæc quid tristia signa velint
Hortantur populum sudeant ut cunctipotentem
Suppliciter precibus sollicitare Deum
Crimina per Christi ut meritum patrata remittat
Commeritas pœnas auferat utq; graves

Deplorentq₃ monent contrita mente nefandam
Stultitiam qua sunt lumina lesa Dei.
Sed vulgi rabies qua ad verba monentia recta
Surda fuit, pergit deteriora sequi
Longanimum mitemq₃ Deum sic cogit ad iram
Quem tamen ad pœnas non properasse liquet
Paulatim lentog₃ gradu procedere suadet.
Ad meritas pœnas justitia alma Dei.
Sic tandem Deus omnipotens prudentibus orbat.
Consiliis populum, sic patriaq₃ Duces.
Heu patria infœlix Domini quem cura reliquit
Incumbunt capiti summa pericla tuo.
Jamq₃ inter patriæ Dominos discordia surgit
Litis & illorum causa pudenda fuit
Persequiturq₃ odio Brandenburgensis iniquo
Marchio, qui illustri stemmate natus erat
Guilhelmus cui nomen erat pietatis amore.
Captus & optata pacis amator idem
Rigensisq₃ fuit pius Archiepiscopus ipse
Dignus & obsequio, dignus honore fuit
Hic sibi proposuit veniente aetate sentili
Successorem ipsi querere honore parem
Designans Megalopirgensis stemmate natum
Regali eximium precipuumq₃ Ducem
Christophorus cui nomen erat virtute supremus
Quem furiosa statim pelleret turba parat

Consilia inter sese agitant animoq; feroci
Bello ipsis placuit praestituiffe Ducem
Fortis erat quamvis tamen Et temerarius idem
Heu non cum patria commoditate fuit.
Furstenbergus erat cui nomen, ferrea tandem
Sanguinea statuit bella movere manu
Colligit ille equitum subito peditumq; cohortem
Invadit fines principis atq; pii
Talia percipiens Guilhelmus marchio pacem
Ut patria avertat damna nefanda petit
Cumq; sua sedis conspexit mœnibus hostem
Viribus atq; armis appropere suis
Arbitrio se hostis mansueto pectore subdit
Captum qui abducit non sapienter eum
Magnanimus Princeps cui terra Borussia servit
Turpe sibi fratris probra tulisse putat
Expertes igitur constanti Et pectore forti
Ille viros querit militiq; Duces
Atq; Polonorum Lituanoꝝ potentem
Implorat regem subsidiumq; petit
Servit imperio quia terra Borussia Regis
Captus ei Et Princeps sanguine iunctus erat
Consensu imperii procerum Rex bella probabat
Fratribus auxilium ferre paratus erat
Obvius ire cupit Regi Dux viribus impar
Mens fremit atq; furit sed cadit ira metu

Deniq; constituit vitare pericula belli
Et patria pacem restituisse studet
Impetrat & pacem, sed Rex praecepit amico
Principi ut absq; mora restituantur opes
Sic postquam patria jucunda reddita pax est
Guilbelmo capto pristinus atq; status
Non inter Dominos viguit concordia ut ante
Sed res hac patria pernitiōsa fuit
Et simile est veritalis discordia quod non
Contigerit nobis consilio absq; Dei
Facta Deus populi indomiti quem signa, minaq;
Ipsius haud terrent, flagitiosa videt
Præterita atq; Dei quod eorum ferrea corda
Haud ullo pacto pœna benigna movet
Miles enim solitus miseros populare colonos
Ipsorum damno cumq; pudore fuit
In domibusq; suis hos est nutrire coacta
Nobilitas nec non Scommata acerba pati.
Cladibus his postquam plebs impia libera facta est
Denuo luxus eam & fœda libido capit
Doctorum minime monitis precibusq; movetur
Exitium quarit sed furibunda suum.
Quapropter Domini mentem gravis occupat ira
Longius haudq; potest crimina tanta pati
De pœna gravioere Deus deliberat, & sic
Sævi Moschi animum ad bella cruenta movet

Tempora lustra decem pacis completa fuerunt
Moschus quod patria est turpe tributa petit
Livoni quos non latuit sapientia praestans
Et veterum patria fortia facta Ducum
Forti animo sed non sapiente tributa negarunt
Mens etenim similis non fuit hisce patrum.
Plebs quia segnis erat facta Et desueta laborum
Temporibus letis mollia corda tenens
Impia corda tamen damnanda superbia vexat
Nec Moschi vires nec timere minas.
Unica nostra decem jactat turba ebria mittet
Corpora Moschorum dextra cruenta neci
Terruit ista viros furiosa superbia sanctos
Quodq; adsit trepidant horrida poena Dei.
Jam Furstenbergi tardabat membra senectus
Quam sensit vires comminuisse suas
Jam misera patria crudeli mente parare
Moschorum regem Tristia bella videt
Convocat ergo suos proceres quos mente benigna
Quod patria insurgant summa pericla docet
Quare alium suadet studeant ut quarere belli
Hostem qui superet pectore Et arte Ducem.
Inveniuntq; virum quem non virtutis egentem
Agnoscent, valida Et mente vigere vident
Huic nomen Ketlerus erat, placet omnibus aequae
Hocce sua patria consuluisse Duce

Ille quidem insignis fama atq; insignior armis
Mæstus ad officium sollicitusq; fuit
Nam prudenti animo vires considerat hostis
Vi non exigua qui superandus erat
Et quod Theauri patria locus ille videbat
Præteritis bellis evacuatus erat
Attamen ille equitum magnam peditumq; cohortem
Colligere immensa sedulitate studet
Externos igitur Germanos visitat ipse
Congregat egregios forti animoq; viros
Interea patriæ fines Invadere Moschus
Fortassis Domino non prohibente parat
Dulcia devastat patria crudeliter arva
Dat miserorum hominum corpora multa neci
Fœdat Infantum tenerorum sanguine dextram
Intereunt miserè, fœmina virq; simul
Nec non captivos multos abducit: Optum
Tempus adesse videns oppida pauca capit
Contentus quæ hostis modico potuq; ciboq;
Capta semel forti mente tenere solet
Tanti fama Duci redeunti nuncia luctus
Venit: Livonos cogit ad arma viros
Quos mora non tardat sed mox ad prælia dura
Omnes audaci forti animoq; ruunt
Jamq; externa cohors quam Dux conduxerat arc
Cum Livonorum nobilitate coit



Vix unquam credo quod tam peditumq; equitumq;

In patria nostra pulchra caterua fuit.

Aspectu jucunda fuit sed viribus ausos

Fidere sapè Dei conterit ira gravis

Moschus non virtute valens sed fraude doloq;

Viribus bis hostes appropereare videns

Nunc fugit huc illuc nunc ficta praelia tentat

Obvius haud audet viribus ire suis

Expugnabatur mox à duce parvula quedam

Nobilis arx, quam tum cœperat hostis atrox

Dux virtute nitens Et nomine clarus avorum

Qui quoq; belli usu magnus Et arte fuit

Hostis ubi insidias conspexit motus ad iram

Ipsius intrepide querere castra studet

Castris inventis invadit fortiter hostem

Agmine cum toto qui dare terga parat

Mox Dux ipse Ducum pedites equitesq; sequuntur

Sed levibus ventis ocior ille fugit

Nec tamen effugit prorsus sine cede suorum

Pars horum capitur pars bona casa cadit

Dux fugiente Die fessos ad castra reducens.

Sollicitus quid agat nocte dieq; fuit

Vtq; duci vires Moschi contundere cura est

Tanta armata cohors neve recedat iners.

Crudelis statuens fines invadere Moschi

Cede cupitq; ipsi reddere Et igne vicem

Mens

Mens contra sic una fuit relinqueret castra
Vulgari populo nobilibusq; simul
Priscorum siquidem non patrum more labores
Nec tolerare hiemis frigora Dura queunt
Plebis qua reditum simulat sententia vincit
Hosti gratificans estq; reversa Domi.
Postquam tota cohors dispersa per oppida quadam
Secure vixit tempus inane terens
Interea Moschus sua commoda querere tentat
Id mora ut efficiat nulla retardat eum
Irataq; suas compellit mente catervas
Et subito patria maxima damna struit.
Marchio Guilhelmus discessum militum ut audit
Moschorum technas insidiasq; timet
Ergo suos equites cito denuo convocat omnes
Imperat ad fines ut sua castra locent.
Nobilium accelerat sic prestantissima turba
Hostis nec quicquam tela nec arma timens
Turba ea fortis erat sed viribus hostis acerbi
Haud equanda quidem sed miseranda fuit.
Nam Moschus centum superabat millibus illam
Quem patrie vires non latuisse liquet
Nec dubium est si tota cohors Germana coisset
Hostis eam minimè sustinisset atrox
Sed nocuit turbae vigilanti absentia magni
Ductoris patrie hac causa doloris erat

Finis

Finibus in patria nullo prohibente Tyrannus
Savit, quem modica hac pellereturba parat
Moschorum vis magna satis non cognita certe
Præsidibus belli militibusq; fuit
Inq; locis variis horrenda incendia multa
(Infœlix omen) nocte silente vident
Confixi telis fugiunt ad castra Coloni
Armaq; sic cernunt hostis adesse prope
Sunt tamen intrepidi Dux quem præfecerat ipsis
Marchio, vir præstans forti animoq; fuit
Folckersamus ei nomen fuit integritate
Splendidus, ingenuis artibus atq; nitens
Præcipuorum equitum numerum qui colligit, ipsis
Explorare jubens quid ferus hostis agat
Armati qui nocte ruunt hostiq; propinquant
Tempore nocturno prælia inire cavent
Solis at ante ortum mox ut nox cœca recessit
Invadunt hostem Marte favente ferum
Quorum aliquot sternunt immania corpora: quosdam
Captos abducunt: Cetera turba fugit
Hi spoliis læti redeunt ad castra superbi
Sed dant eventum gaudia sæpè malum
Cum duce nobilitas quia cetera ducta sinistra
Hosti præbetur præda petita fero
Nam veniunt ubi tota cohors sua castra locarat
Heu quid agant? statuunt prælia inire tamen

Fortiter exigua turba ferè funditur hostis
Qua moritura dedit corpora multa neci
Hostibus innumeris casis, est languida facta
† *Dextera nobilium perspicuiq; Ducis*
Heu sic nobilium flos atq; electa iuventus
Occidit, unica *Es* hos abstulit atra dies
Turba modo qua victor erat discedere tristis
Cogitur è castris *Es* loca tuta petit
Turpe quod est hostis secura caterua vagatur
Per patriam, spoliis tendit onusta Domi
Dedecoriq; fuit reliqua res ista cohorti
Qua patria aspiciens damna jacebat iners
Fama mali tanti Ducis ut compleverat aures
Protinus ad patriam nocte dieq; volat
Veris *Es* adventu glacialis bruma repulsa est
Tempora jamq; dedit militia apta Deus
Tristibus est cura ductori querere rebus
Consilia, utq; hosti damna referre queat
Aris defectu pedes ad bella movere
Res odiosa quidem difficilisq; fuit
Nec tantum pedites equitum quoq; deficiente
Are Duci magno turba rebellis erat
Excitat ingenti segnes tamen ille labore
Militia populos pollicitisq; duces
Sic cum militibus conductis undiq; vulgus
Concurrit patrie nobiliumq; cohors

Qua

Qua permagna fuit, non dissimilisq; priori
Hostis & ad fines castra movere parat
Ketleri Megalopirgensis Dux properavit
Christophorus castris, jungere castra sua
Quem Dux Ketlerus summo suscepit honore
Viribus & totis obvius ibat ei
Ambobus Ducibus fugit vos cingere Moschos
Arte & consilio magna cupido fuit
Tota cohors castris hostis armata propinquat
Quem cautè cinctum, perdere nocte studet
Talia dum tentant tandem nox atra recessit
Hac quoq; non hostes opprimere arte queunt
Nam postquam vigiles aliquot ceduntur, ad hostem
Germanorum aciem rumor adesse volat
Moreq; sic solito Moschus fugit ocior Euro
His equites celerant eripuisse fugam
Multaq; forti animo demittunt corpora morti
Captivos aliquot precipuosq; trabunt
A Ducibus nostris obsessa est Terpata tandem
Tentatur num qua possit ab arte capi
Sed Moschi obsessi simulabant fortia corda
Manibus egressa est magna caterva suis
Et quasi nostra velint invadere castra videntur
Sed subito è castris turba parata ruit
Moschi ut eos promptos ad praelia dura videbant
Evitare student seva pericla necis

Paulatim ad muros Moschi sic turba recedit
Sed sub tormentis in statione manent
Mox Germani equites invadunt fortiter hostem
Nec tormenta timent praelia acerba juvant
Innumeros Moschos mactant sub mœnibus ipsis
Porta minor cæsis hostibus una patet
Sed nequeunt equites portas intrare minore s
Aptius at pedites hoc decuisset opus
Qui missi auxilio sociis sub mœnibus hostis
Clamori ingenti turpiter ara petunt
Sic virtute equitum fere Terpata capta fuisset
Sed quod non capta est obstitit ira Dei
Gaudia proh dolor hæc patriæ fortuna negavit
Sæpius hæc hominum fallere vota solet
Postremo Dominos inter discordia surgit
Mota sit unde tamen causaq; vera latet
Nec mora discedunt tendunt constanter uterq;
Agmine cum toto quo voluere suo
Arcem aliquam nuper quam sevens ceperat hostis
Ketleri vires obsidione premunt
Sed Moschi soliti defendere fortiter arces
Captas: hanc variis obtinere Dolis.
Tandem immensa cohors dispergitur horrida Moschis
Deinde nec in patria est tanta reperta cohors
Quisq; Domum ruit, at Moscho fiducia crescit
Sedulò nec patriæ non mala multa struit

Sed veterum si more patrum, constanter in armis
 Durasset vulgus, nobilitasq; simul
 Frigora non curans, non aestatisq; calores
 Formidans poti delitiasq; cibi
 Hosti nec spatium, requiem nullamq; dedisset
 Cedibus & flammis ipsius arva petens
 Tam longo haud patriam lacerasset tempore Moschus
 Esset & armunis libera facta Diu
 Indomiti populi luxus, leuitasq; malorum
 Et longi belli causa pudenda fuit
 Irruit in patriam Moschus sevitq; quotannis
 Ac arces aliquot, fraude doloq; capit
 Non tamen insanum populum sevitia Moschi
 Nec patrie misera damna nefanda movent
 Et populo minimè cura est Res publica avaro
 Secure querit commoda quisq; sua
 Magnificiq; Ducis patrie quem cura dolenda
 Sollicitat, renuunt consilia apta sequi
 Quisq; suos Princeps fines tutatur, at hostis
 Dispersos facile fundere cede potest
 Vis quamvis patrie longinquo tempore belli
 Cedeq; Moschorum debilitata fuit
 Attamen exigua mens turba ad praelia fortis
 Haudq; elata Deo & dura favente fuit
 Vere novo numerum Moschorum colligit amplum
 Hostis, quæ restant querere tentat opes

Contra illum Livoni equites coguntur ad arma
Sed similis prima non fuit ista cohors
Maxima pars quia conducta dimissa cohortis
Livono cessit turba rebellis humo
Si quam fortis erat, modica hac tam cauta fuisset
Turba equitum Moschus nil nocuisset eis
Sed quia Moschorum soliti contemnere vires
Incumbunt stultè nocte dieq; mero
Hostis eos facile superabat fraude doloq;
Occidit atq; una pulchra caterva die
Incantam delevit eam nil tale timentem
Hostis precipuitum cecidere Duces
Quorum aliquot socios magni ductoris ad ipsam
Regem captivos turba cruenta trahit
Quos miserè affligens crudeli mente Tyrannus
Indigna tandem morte necare jubet
Dux tales tristi perpendens mente ruinas
Non quæ sint patriæ consilia apta videt
Hostis namq; aliquot cepit patriæ oppida & arcēs
Sunt ubi nobilium pradia multa sita
Exuti qui opibus patrias defendere terras
Haud presse misera conditione queunt
Cetera cui saluæres divitiæq; manebant
Nil nisi quærebat commoda turba sua
Imperium magni Ducis haud reverenter habebant
Intandæ partiam cura molesta fuit

Dux

Dux autem sapiens nec non virtute supremus
Nutanti patria consuluisse cupit
Sed quoniam Moschos belli artibus atq; labore
Viribus & magnis nos superare videt
Consilio ergo gravi ne patria tota ferocis
Cogatur Moschi subdere colla iugo
Imperio Regis semet patriamq; Poloni.
Subiecit, patrie consuluitq; bene
Hujus enim regis procerum quoq; gloria in orbe est
Late inter populos cognita facta diu
Rex Dominum & patriam suscepit mente benigna
Nec non inter se fœdera certa parant
Regi, Dux citra Dunam sita & oppida & arces
Cedit: fit Dominus Rex patrie atq; pater
Consensu regis Curlandia terra benigni
Tradita perpetuo est jure tenenda Duci
Ipsius & soboli tellus fœcunda futura
Non minus est simili jure tenenda data
Eximii pietas & virtus principis hujus
Laude erat in terris atq; decore nitens
Magna sui populi fuit illi & cura ducatus
Divini cultus justus & æquus honos
Ritè ut diuino populus verbo erudiatur
Doctos & claros colligit ille viros
Distribuitq; locos his cunctis ordine justo
Suppeditans victum, templaq; multa struens

Qua

Qua pietate ducis Deus est placatus : Ejus
Clementer terras imperiumq; fovet
Hujus & in Thalamo Domino statuente benigno
Egregia forma & casta ducissa datur
Quae licet excelsa & Regali stemmate nata
Est mansueta tamen, justitiaq; nitens
Corpore ut hi juncti minus haud sic mente fuerunt
Res pariter cura publica utrisq; fuit
Horum virtutes mirata est subdita turba
Et patet haud summo displicuisse Deo
Divinum imprimis verbum reverenter habebant
Quod summa amborum spesq; salusq; fuit
Tempore quapropter duro protexit eorum
Terras & fines fortiter ecce Deus
Femineam binam sobolem binamq; virilem
Hi Genuere omnes qui pietate nitent
Sed quamvis plures genuerunt, attamen istos
Ante Diem rapuit mortis avara manus
Inter se certare Duces mihi uterq; videntur
Virtutum studiis ingenioq; pari
His precor ut vivant in multos Nestoris annos
Sint cupidi inq; vicem laudis uterq; sua
Utq; queant augere suam feliciter opto
Et sobolem, & patriae splendida facta domus
Altera pars citra Dunam sita nobilitatis
Quae imperio procerum subdita Regis erat

Illorum quamvis aliquot pietatis amantes
Extiterint sancta iustitiaq; viri
Maxima pars tamen illorum lasciva manebat
Penarum gravium non memor atq; Dei
Inter res varias magis hæc damnanda patebat
Cura Dei cultus quod pia rara fuit
Quorum stultitia graviolem motus ad iram
Conditor est mundi longanimusq; Deus.
Nam peccatori solitus largire benignus
Est convertendi tempora longa Deus
Sed tanquam Deus est bonus & quam lentus ad iram
Tam pœna affigit crimina magna gravi
Hos super irarum tandem omnia flumina fudit
Suppeditans vires Moscho animumq; ferum
Exacans patriæ populos presentia quos non
Sevi securos hostis ad arma movet
Et quasi sint pacis certi stultissima plebis
Nec non nobilium turba jacebat iners
Tandem sparguntur trepidi loca tuta petentes
Tutariq; studet mœnia quisq; sua
Sic illos gravis ira Dei compellit & omnes
Ad pœnas meritas suppliciumq; trahit
Sed Stephanus Rex fama jugens, ingentior armis
Obrutus illo alio tempore rebus erat
In patria nostra licuit servire Tyranno
Has satis ærumnas nemo referre potest

Ille minus populos terrenus multas capit arces
Tormenta ad muros armaq; dira monens
Spe miseris rana delusi nulla trementes
Arma polonorum praesidiumq; vident
Hostis permultos crudeli mente trucidat
Praelarios patria praecipuosq; viros
Occisis minime tumuli concedit honorem
Corpora dans horum dilamanda feris
Turbaq; desperans sibi in obsidione cruentum
Interritum adsiscit femina virq; simul
Vt sic effugiant manibus, vincisq; tyranni
Probrag; ut evadat femina casta nec
Quam fuerint mites Duxq; generosa ducissa
Sat patet his; quae tunc exultat urba fuit
Paupertatis enim miseranda mole gravatis
Largiter hospitium subsidiumq; dabant
Inter quos Ego qui sum pauperissimus ipse +
Vt decet ex imo pectore gratia ero

Et precor ut vivat per tempora longa Ducissa
Defuncti virq; Ducis mollior ossa cubens
Sed Dominus iustus oculisq; mente benigna
Exitum populi respicit ecce sui
Dentibus atq; hujus lanari membra ferarum
Plebs qua quondam plebs sua dicta fuit
Cladibus patriae Moschos gaudere dolendis
Saevitae bandq; horum quod modus ullus adest

Ergo

Ergo Dei in se vum mox ira reuertitur hostem
Cernitur extemplo Dira cometa nova
Horrendam caudam ad Terras direxerat hostis
Quodq; Dei incumbat pœna minatur ei
Quam misera pressos tum conditione movebat
Fundere subjecto pectore vota Deo
Ipse suum propter peccata affigere pœnis
Est populum solitus nec minus ipse fovet
Inq; suo necat & detrudit ad ima furore
Et contrita itidem pectora ad astra leuat
Quis dubitet quod non enormia crimina plebis
Immensi patriæ, causa Doloris erat
Patria consiliis sapientum cassa virorum
Non fuit horum aliquot nam diguere patres
Inter quos Henricus erat Tisenbusius arcis
Berfona Dominus laude & honore nitens
Hunc superare queat vix credo disertus Vlisses
Ex Salomonis enim fontibus ille bibit.
Non privata fuit Res huic, sed publica cura
Hujus erat multis res odiosa fides
Si votis nostris non fata aduersa fuissent
Hujus consiliis patria tuta foret
Heroes itidem nec nobis fortia corda
Derant, horum aliquot mox recitare queo
Reinoldus Saxo belli arte insignis & usu
Tutando patriam casus ab hoste jacet

Quis neget Henricum Duikerum laude fuisse
Dignum, quem nobis abstulit atra dies
Acriter occubuit pugnans qui Tarpata in urbe
Cognita cui non sunt, fortia facta Rosa
Maximus est horum Farnsbachius inclitus heros,
Cujus in orbe viri fama perennis erit
Ipsius in variis belli experientia Terris
Atq; sua dextra splendida facta nitent
Non potuere tamen patriæ succurrere mæsta
In promptu causa est obstutit ira Dei
Supplicii postquam gravitate evanuit illa
Ipse fuit populi portus & aura sui
Sed scelerum dignas pœnas expendat ut hostis
Pramia & ut Domino vindice justa ferat
Excitat in victum Regem Stephanum utq; flagellum
Preparat acre Deus, consilioq; juvat
Composito bello intestino, immensa cupido
Inferre huic Moschis bella cruenta fuit
Cogere concilium properat Regniq; columnas
Compellit: proceres nobiliumq; gregem
Crudeli à Moscho prope quod Livonia tota
Surrepta est regno fraude doloq; Docet
Turpe quod à se vo sit ab hoste hac probra tulisse
Rebus ut his querant consilia apta jubet
Deniq; consilium grave conclusisse placebat
Moscho inferre annis bella cruenta tribus

Arcq̄, quesito varias conducere Gentes
Vndiq̄, & expertes forti animoq̄, viros
Viribus & totis Moschorum invadere terras
Nec nisi victores cedere ab hoste fero
E procerum numero socium Rex eligit aptum
Ante alios dignum quem putat esse fide
Scriba fuit regni qui maximus, officioq̄,
Praesuit ille suo laude & honore diu
Huic accessit bonos Stephano statuente supremi
Ductoris tanto & dignus honore fuit
Suscepit cum Rege etenim simul ille labores
Belli, quos tractat Marte favente bene
Eximiaq̄, horum placuit virtute duorum
Turgida Moschorum corda domare Deo
Qui velut Aetherei regis Terraq̄, flagellum
His ut erant meriti premia justa dabant
Viribus atq̄, opibus prorsus Rex exiit hostem
Ejus devastans oppida & arva simul
Fecit ut ille prius Livonis millia multa
Impia membra dabat Rex lamanda feris
Tandem est convictus pacem exorare coactus
Et patriae invitus relinquere dulce solum
Sic Stephano quamvis defuncto, Gloria Regi
Debetur, patriae nam pater ille fuit
Ipsius & socius simili cumulandus honore est
Praebat hinc vita tempora longa Deus

Augeturq; polonorum jam gloria regni
Splendida cui prabet Lumina Stella nova
Regem nempe dedit, variis virtutibus illis
Ornatam summi gratia magna Dei
Nec virtute nitet modo, sed sunt bina favente
Ipsius imperio subdita regna Deo
Ille polonorum regno dabit aurea secla
Est quia mansuetus viribus atq; potens
Terror erit Moschis & erunt inuisa tremore
Omnibus horrendis ipsius arma Getis
Certaq; nunc oritur tibi spes ô turba dolenda
Cujus non juste possidet alter opes
Sit tibi prima Dei venerari numina cura
Ut praestes regi proxima cura fidem
Hoc si praestiteris Christus tuo crimina tollet
Et facile votis annuet ipse tuis
Rexq; sua proceres huc mansuetudine flectet
Miti ut restituant praedia mente tibi
Deniq; vela mea statuo laxare carina
Jam mea quae voluit littora puppis habet
A me cunctarum quod non sit mentio facta
Rerum tu michi non obice livor edax
Nil nisi ego causas patriae recitare ruina
Carminc constitui: Lector amice vale.

F I N I S.